

## Liber I

## Omelia VII

20

ab illa parte. Et totum corpus plenum oculis etc. usque ad illam partem. Et audiebam sonum alarum: quasi sonum aquarum multarum.]

**S**icut nobis fratres charissimi consuetudo prophete est nunc ista: nunc illa conspiceret: et ab aliis in aliud subito verba deriuare. Sicut psalmista cum de domino loqueretur dixit: Deus iudex iustus: fortis longanimis: nunquid irascetur per singulos dies? Nisi conuertamini: gladium suum vibrauit arcum suum tenendit: et parauit illum: et in ipso parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit. ps. 7. Repete subiunxit. Concepit dolorem et peperit iniquitatem. Rach aperuit et offodit eum: et incidit in foueam quam fecit. Ecce cum domini narraret iustitiam: quasi non mutata voce repetere peccatoris intulit culpam. Quod vnum me exeplici causa dixisse sufficiat. Quia quisquis in prophetis vsum lectionis habet: quam crebro ista faciant non ignorat. Unde nunc Ezechiel propheta cum de rotis loqueretur adiunxit.

Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quattuor.]

**Q**ui enim non ipsarum sed ipsorum dixit: profecto indicat: quia repetere sermo eius a rotis ad animalia rediit: per que nimirum perfecti quique ut predictum est: designant. Quorum itaque animalium teclero plena oculis describunt: quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est: bona desiderabiliter prouidens: mala solerter cauens. Et hoc est laboriosius: ubi aliter quia sanctorum mens vehementer inuigilat: ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondat. Circumspecta ergo est vita sanctorum: ne sic sit libera ut superba sit: quia sepe superbia excidit in verbis et videri appetit libertas putatis. Ne sic sit humilis ut formidolosa quia timor aliquando restringit animum ut

loqui que recta sunt non presumat. Sed tamen in ipsa timida cogitatione humilitatem esse se simulat. Ne sic sit parca: ut tenax sit: quia plerumque tenacia parsimonia appetit estimari: et iuste ac necessarie videatur tenere: quicquid egentium proximo misericorditer non vult impendere. Ne sic sit misericors ut effusa sit: quia non nunquam effusio esse se misericordiam putat. Aliud est enim pietatis studio necessaria proximo dare: atque aliud ea que possident sine mercedis intentione dispergere. Quis ergo agitur in radice intentionis persandum est: quo merito apud iudicium creatoris habeatur. Unde et isdem creator dicit. Si oculus tuus simplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit. Mat. tibi. 6. Oculum videlicet intentionem: corpus vero actionem nominans. Quia si nostra intentio apud deum simplex fuerit: in eius iudicia nostra actio tenebrosa non erit. Igitur: quia sancti viri solerter inuigilant: ut se vniuersis aspiciant: et vbi custodiant: ne aut mala propter ipsam appetant: aut hec eadem sub specie bonorum agant: scilicet ne se eis vicia virtutes esse mentiantur: totum corpus plenum in circuitu oculis habent: et quia omnis eorum actio prouidentia sollicitudinis et repletur: et circumdatur. Hinc enim quod paulus apostolus dum cuidam penitenti de perpetrato facinore corinthios prospiceret: voluisse misereri ait: Si cui aliquid donastis et ego: nam et ego quod donavi propter vos in persona christi: ut non circumuentamur a sathana. Non enim ignoramus cogitationes eius. 2. Corinth. 2. Si enim parcendum erat: cur se humilitate tanta voluntati discipulorum magister egregius sociat: ut neque ipse a discipulis: neque ab eo discipuli in compassionis causa diuisi viderentur: Nisi quia sollicito prouidentie oculo attendit: quod plerumque dum alter donat: alter irascitur. Et quale est iam misericordie sacrificium quod cum discordia proximo offertur. Unde recte ait. Et non circumuentamur a sathana. Non enim ignea